

PRAEFAMEN.

In hac Taciti operum nova editione quid, reliquis omnibus posthabitibus, unice ut efficeretur, spectatum sit, id ne fugeret lectorem benevolum, paucis hic visum est profiteri. Simplex nimirum et primarius fuit scopus, textus ut is exhiberetur, in quo neque ullum verbum contextus Tacitici, qualem nunc habemus aut habere possumus, desideraretur, et omnia, quae exhibentur, recte, quoad eius hodie fieri posset, typis exscripta legerentur. Quod quantum quantius sit, iis opinor perspicuum erit, qui interiorem sibi cum recentioribus Taciti editionibus familiaritatem contraxere, quarum paene nulla est, quae non editorum aut impressorum secordia graviora saepe traxerit vicia, quam libri ulli olim manu scripti ex librariorum incuria multum illud decantata reportavere. Unde factum est, ut, praeter duas insignes illas Crollii Exterique, quae tamen in scholarum usum propter lectionis disreputiam minus adhibitae sunt, nulla hodie extiterit Taciti operum editio, quam in textu curando et exscribendo certo vestigio sequi possis. Oberlini enim, quem nos quoque secuti sumus; qui quartam Ernestiana recensionis editionem, a Wolsfo inchoatam, perfecit, opera item, ut reliquorum, multo magis est in animad-

versionibus et lectionis varietate, quam in textu ipso bene praestando, versata. Est autem Tacitus is scriptor, in quo saepe, vel una litera mutata, et sensus longe alius exsistat, et error non adeo facile unicuique appareat; cuius rei innumera possent afferri exempla: veluti, ut duo memorem, An. Lib. IV. Cap. 55, si legas: terrae mutavisse; aut Lib. II. c. 26, nullo dum alio hoste; quae in plerisque deprehenduntur.

Quare, quoniam tamen Ernestiana textus recessio novissima, ideo quod, qui eam curavit, Oberlinus et Bipontinorum et alias bonas lectiones recepit, retinenda videbatur, textu iam ad illius exemplar descripto, deinceps accuratissima instituta est eius cum Exteriana editione collatio; ubi autem aut illa offenderet, quod, tametsi non sane multis locis, tamen accidit, aut aliud vel levissimum dubium incideret, ad Gronovianam recessum est; intellectumque inter hoc, quantum adhuc et in Tacito, etiam in his quae exstant, sit, quod desideretur. Quod igitur Deus bene vortat, amoenum hunc scriptorem, quantum quidem in nobis fuit, a mendis multis apertis et per tot editiones propagatis, hac editione penitus vindicare conati sumus. In quo opere perficiundo si quam plurimum Taciti amantibus nos adiumento fuisse gratumque fecisse intellexerimus, non erit profecto, quod hanc curam inutiliter collocatam existimemus.

Scr. Lipsiae m. Januar. MDCCCXXVI.